

JOANNIS ANT. SCOPOLI

PHIL. ET MED. DOCT. S. C. R. ET AP. MAJEST.
PHYSICI CAMMERALIS, CHYMIÆ AC ME-
TALLURGIÆ PROFESSORIS, ET CÆS. REG.
SOCIETATIS AGRICULTURÆ STYRIÆ, GO-
RITIÆ AC GRADISCÆ SOCIJ.

RES NATURALES

NOVITER DETECTÆ AUT ILLUSTRATÆ

IN ITINERE GORITIENSI

VOLUNTATE AC FAVORE

CÆS. REG. SOCIETATIS AGRICULTURÆ COMITATUUM
GORITIÆ ET GRADISCÆ SUSCEPTO

DECIMA OCTAVA SEPTEMBRIS MDCCLXVI.

JOANNIS ANT. SCOPOLI

PHIL. ET MED. DOCT. S. C. R. ET AR. MAJEST.
PHYSICI CAMMERALIS, CHYMICI AC ME-
TALLURGICI PROFESSORIS, ET CARS. REG.
SOCIETATIS AGRICULTURAE STYRIAE, GO-
VERNAT. AC GRADISCAE SOCIJ.

RES NATURALES

NOVITER DETECTAE AUT ILLUSTRATAE

IN ITINERIBUS GORITIENSIBUS

VOLUNTATIS AC FAVORIS

CARS. REG. SOCIETATIS AGRICULTURAE COMITATUM
GORITIAE ET GRADISCAE SUSCEPTO

DECIMA OCTAVA SEPTEMBRIS MDCCCLXXV.

JAM fere clausum Faunæ Floræque nostræ theatrum erat eo tempore, in quo noviter instituta ac promovendæ publicæ felicitati unice intenta Societas Agriculturæ, me Idria eundem in finem evocavit. Mitissima Regio hinc in montes elevata, illinc vero in amœnam planitiem extensa, non unius Anni moram ab eo exigeret qui Rerum Naturalium saltem notabilium historiam dare vetet. Mihi brevissimum duarum hebdomadarum tempus officiorum meorum ratio unice largita fuit, ut ideo quædam duntaxat fugitivis oculis intueri ac celeri pede percurrere debuerim, otio destitutus, quod accuratæ postulant observationes.

Decima octava Septembris, Idria discedens, vidi in tophaceis udisque locis M. Orteæ ASTRANTIAM floribus pediculatis, seminum angulis alato-plicatis (1), folis foliis in quinque lobos profundæ dissectis diversam ab ASTRANTIA foliis digitatis septennis, integris, dentatis (2), ut didici ex speciminibus Helveticis hujus *Astrantiæ* a Cl. WILLICCHIO communicatis. In sylva montis ejusdem rudera adhuc erant SCOPOLÆ Carniolicæ (3), & CACALIÆ alpinæ. LINNÆI, quam post SCWENKFELDIIUM ad Tussilagines retulit Cl. ROYE-

A 2

NIUS

(1) Fl. Carniol. p. 337. n. 4.

(2) Enum. Helv. p. 440.

(3) JACQUIN. Obs. Bot. I. p. 32. Tab. 3. quam iconem ego delineavi & Cl. Viro donavi.

NIUS (4), ac bene quidem si Generis characterem constituit Calyx cylindricus, unico squamarum ordine factus, nec aliis ad basim auctus. Frequens etiam ibidem est TUSSILAGO scapo subnudo unifloro, foliis cordato-orbiculatis crenatis, Amicissimi LINNÆI (5) ab omnibus Botanicis recentioribus cum TUSSILAGINE alpina minore, folio rotundo. J. BAUHINI (6) non bene conjuncta, cui folia crassa, superne lineis depressis exarata, subtus tomentosa, nervosa: nervis crassis, ramosis: ramulis anostomosantibus; eorundem margo reflexus, minime dentatus; unica ligula foliacea in medio scapi uniflori; corollæ quadrifidæ; antheræ stylo longiores; semina non striata; quibus notis prior TUSSILAGO caret, hinc *sylvestris* a me dicenda, hæc autem *alpina*.

Sylva hæc magnam Muscorum & Lichenum copiam alit, nempe *confervas arbores*, Usneas Antiquorum, aut funiculos rigidos atque ramosos; *Terras vegetabiles*, crustas inorganicas, seu Lichenes leprosos LINN; *Corallia Floræ*, crustas squamosas, Coralloides DILLENY; nec non *Fucos Terrestris*, aut coria lacinata, quæ Lichenes Pulmonarios Michelius appellavit. Hos inter *amplissimus* noster, seu LICHEN foliaceus *repens lobatus*, *supra cinereus*, *infra roseus tomentosus*, *scutellis rubris* (7), quem MICHELIUS dixit LICHENEM pulmonarium arboreum maximum, *inferne obscurum*, *desuper e glauco-cinereum*, *receptaculis florum rubris*, *seminibus nigricantibus*. Unum folium scutellas rufo-rubras

(4) *Tussilago caule ramoso*. Lugdb. p. 159.

(5) Syst. Nat. p. 1214.

(6) Hist. Plant. III. p. 565.

(7) Fl. Carniol. p. 102. n. 33.

bras planiusculas, aliud vero cespitulos effert fuliginoso polline adspersos, qualem Diœciam egregiis figuris expressit ante omnes diligentissimus MICHELIUS. Ad putridos truncos frequens etiam occurrit LICHEN crustaceus, æruginosus, scutellis albidis Cl. JACQUINIJ, quem ego jam pridem observavi & dixi LICHENEM crustaceum, tuberculis sessilibus planis, crusta vermiformi (8). Nihil hæc crusta æruginosi, nec scutellas alidas perpetuo gerit, ut ideo ex descriptione Cl. JACQUINIJ hunc Lichenem nunquam adgnossem, nisi eundem in ejus Herbario conspexissem.

In aridis ramis arborum & truncis non rari ibidem occurrunt *Lichen-Agarici Micheliani*; quos e Regno vegetabili pepulit Ill. LINNÆUS. Veruntamen cum Gentis hujus perpetuus caracter sit receptaculum sphaericum aut cylindricum, ex apice pollinem nigrum seminalem effundens, ita eandem in alia Editione Floræ Carniolicæ AVERNAM vocabo, cujus species erunt 1. AVERNAM digitata, Lichen-Agaricus. MICHEL. Gen. Plant. p. 104. Tab. 55. fig. 1. 2. AVERNAM clavatam. Lichen-Agaricus. MICHEL. l. c. Tab. 54. fig. 4. 3. AVERNAM tuberosam. Lichen-Agaricus. MICHEL. l. c. O. 2. n. 1. 2. Tab. 54. fig. 1. 4. AVERNAM corticalem. Lichen-Agaricus. MICHEL. l. c. Tab. 54. fig. 5. ac forte & Ceratospermum 2. Tab. 56. fig. 1. HALL. Helv. p. 90. n. 8. Tab. 2. fig. 9. 5. AVERNAM fragiformem. Lichen-Agaricus. HALL. l. c. p. 91. n. 10. Tab. 2. fig. 10. 6. AVERNAM Miniatam. Lichen-Agaricus. MICHEL. l. c. p. 105. O. 3. n. 3. HALL. l. c. p. 91. n. 13.

In

(8) Ibidem p. 78. n. 10.

In cavis arboribus ejusdem sylvæ, hyemali somno expergefactus, suam familiam propagat Mus *Glif. Celeberr.* LINNÆO ignotum animal (9), donec a me, una cum *CERTIA muraria*, dono datum, acceperit & descripserit in alia edenda Editione *System. Nat.* Meminerunt de eo *PLINIUS*, *MATHIOLUS*, *VALVASORIUS*, ac nuper etiam *STEINBERGIUS* (10), cum icone lepida strigis Bubonis crepitu rostri hæc animalcula in fugam agentis, quam Dæmoni nexio cuidam adscripsit *VALVASORIUS*. Mus hic supra fusco-cinereus est, subtus autem albidus; Est & illi cauda pilosa longitudine corporis, nares pilosæ, oculi nigri, setæ duæ superciliares, mystaces septem longæ utrinque inter oculos & nares, palatum plica antica cordiformi, lingua scabra, auriculæ subrotundæ, Sedes antici tetradactyli, postici pentadactyli. Viçtitat fructibus Fagi; Coryli, ac seminibus. In Pratis circa *Schwarzenberg* ubi crescit *GEN-TIANA corollis quadrifidis margine ciliatis* (11); caule unifloro, bifloro, multifloro, ob debilem radicem fere prostrato. *CAMPANULA caule angulato, foliis imis ovatis ferratis glabris, germinibus decagonis* (12), in saxosis ac sterilibus locis habitans, & foliis caulinis congestis, duris, dentatis, nec non diametro floris medio in loco majore quam ad os, ab omnibus Linifoliis omnino diversa. *SAXIFRAGA Tridactylites* LINN. facile confundenda cum *Hypnoide* EJUSDEM, qui nisi *HALLERI* opti-

(9) *Syst. Nat.* p. 62. Glirem veterum me ignorare agnosco.

(10) Von dem zirchnizer See. Cap. 5.

(11) LINN. *Sp. Plant.* p. 231. n. 19. *Fl. Carniol.* p. 297. n. 1.

(12) *Fl. Carniol.* p. 261. n. 5.

optimam determinationem ad hunc locum citasset, nunquam sane hanc *Hypnoide*m ex definitione Linnæana agnoscere potuissem; Ut ergo Diagnofis dictarum stirpium jam clarior evadat, pono SAXIFRAGÆ *Hipnoidis* characterem specificum in caule viscido, simplici; foliis cuneiformibus tridentatis; pedunculis unifloris; *Tridactylitis* autem in caule ramoso, foliis ad basim usque difectis, & pedunculis unifloris alaribus. Crescit & ibidem, ac alibi passim certis synonymis etiamnum destituta *Gypsophylla muralis* Ill. LINNÆI. Ita *tunicam minimam*. LUGDUN. cum DIANTHO *saxifrugo* nostro non bene conjunxit. J. BAUHINUS. RAJUS non distinguit a *Saxifraga veterum*, quæ *Silenes* species est. HALLERUS Saponariam suam octavam ait esse *Caryophyllum sylvestrem* flore minimo C. BAUH, quem tamen BAUHINI FRATRES ad *Betonicam coronariam*, seu *Dianthum saxifragum* retulerunt. Vitiosa est etiam SEQUIERIJ synonymia, ut probabile omnino sit DIANTHUM *saxifragum* & *Gypsophyllam muralem*. LINN. esse unam eandemque plantam, cum nuper etiam Amicissimus WILLICHIVS, *Tunicam calice lato*. HALL. (13), a DIANTHO *saxifrago*. LINN. haud diversam esse affirmaverit.

Supra Vicum Schwarzenberg sylvam ingressus vidi adhuc rudera SISYMBRIJ foliis lirato-serratis scabris radicalibus, caule subnudo ramoso (14), quam LOESELIVS (15) dixit *Erucam sylvestrem*, foliis subasperis in

or-

(13) Enum. Helv. p. 381.

(14) Sp. Plant. p. 658. n. 8.

(15) Fl. Borus. 68. Tab. 13.

orbem sparsis, Bocconius vero *Nasturtium montanum*, *Bursæ Pastoris folio*, *loculis angustissimis* (16). Verumtamen calyx erectiusculus, & fructus structura clare docent, Plantam *Arabis* potius quam *Sisymbrij* speciem esse. Copiosa ibidem est etiam *JUNGERMANNIA Epiphylla*, quæ autumnò bifidis ac pulchre virentibus foliolorum adscendentium lacinulis tota crispa videtur, verno tempore autem, his depositis, ex antiquis lacinis longas, fistulosas & dorsales setas educit, capitulo viridi spherico terminatas.

Sylva relicta in conspectum veniunt nudi & rupibus calcariis ubique asperi montes, quales tota *Karttschia Carniolica*, miro sane spectaculo, ubique profert. Calcarius hic, juxta me, vulgaris est polituræ impatiens aut indignus, particulis indistinctis, non splendentibus, nec granulatis. Facile fatiscit ac pollinem tenuissimum aquis communicat, qui in antris *Karttschiæ* subterraneis stalactites constituit albos, rubellos, polymorphos. Inter eos Lapidés ubique sparsa est Humus atra, sobolis analyseos naturalis Vegetabilium, saponacea illa substantia dives, quæ aqua soluta Plantas sustentat & alit. Non ecquidem ignoro SCHEUZERUM affirmantem, se in altissimis alpibus *Helvetiorum*, atram Humum collegisse, ubi nulla Planta crescit, ut ideo alia origo hujus Terræ statui debeat, Diluvij enim aquæ terrestribus tot corporum dissolutorum particulis onustæ hoc in omnibus summorum alpium cacuminibus, sedimentum deposuerant. Principia hujus Terræ sunt particulæ oleosæ cum salibus alcalinis fixis aut

VO-

volatilibus in saponem unitæ, inflammabiles aliæ ac bituminosæ, nec non terrestres organicæ corporum vegetabilium aut animalium. Primas demonstrat trituration Machinæ Gareyanæ, coctio in olla Papiniana, color salis essentialis inde nati flavicans, nec non rubra tinctura rectificato Vini spiritu est ea parabilis. Aliud principium ostendit odor terræ in aere libero exustæ, color niger in loco natali, & olea empyreumatica igne elicitæ, ubi in vase clauso validiori igne hanc Humum tractaveris. Organicam quoque Terram Humo huic inesse docet Nitrum, congruis additamentis, inde passibile; & terra cupellationi idonea inde forti calcinatione producta.

Humus hæc copiosam gerit ibidem SATUREJAM montanam LINNÆI (17), quam ex MATHIOLO repetit & pingit J. BAUHINUS (18), floribus modo rubris & approximatis, modo vero remotioribus & pallidioribus. Folia angusta, carinata, duriuscula, punctata & ad oram exiguis corpusculis prominulis aspera, distinguunt hanc speciem ab altera, quam in Rupestribus locis circa Idriam repertam voco *Thymifoliam*, ob aliquam foliorum cum Serpillo similitudinem. Iisdem in montibus vidi nunc etiam spicas fructiferas PLANTAGINIS alpinæ. LINN. capsulis dispermiis, quæ, ut arbitror *Plantagines Linnæanas* 8. 10, ac forte & 9. 11. 13, comprehendit, cum habitus, folia, flos & fructus in omnibus idem sint.

B

Infra

(17) *Satureja* pedunculis dichotomis lateralibus solitariis, foliis mucronatis. Spec. Plant. p. 568. n. 6.

(18) III. p. 276.

Infra *Pottguell* erant Lapidēs facti *Spatō* pyramidalī, prismatibus cœlitis, apice trigonis ac pallide rufis. *WALLERIUS* non bene huic *Spatō* addidit *Synonymon Drusæ Seleneticæ*; Hæc enim *Gypsi* species est cum acidis non effervescens & in gradu caloris aquæ ebullientis fatiscens in calcem aqua indurandam, dum *Spatum* nostrum longe majore gradu ignis transit in pulverem, qui addita aqua cum calore & fumo effervescit, cum acidis fermentat, & cum sabulo & aqua lapideam duritiem acquirit. Inter *Prard* & *Pottguell* occurrunt strata quædam horizontalia & obliqua *Schisti* argilloso-calcarii, quo Domicilia sua incolæ tegunt contra injurias furentis Aquilonis. Ridiculum est *Schisti* Genus a *LINNEO* conditum; nam non omnes *Schisti* fatiscunt in calcem, & *Ardesia tabularis* dat in igne scoriam nigricantem, qualem & argillæ quædam largiuntur. Animalium Plantarumque characteres oculis manifesti sunt, in Regno vero Lapideo *Chymia* est unica clavis quæ Rerum Classicas Genericas & específicas notas patefacit.


In Agro Goritiensi admiratione digna sunt strata Terræ varia, & modo perpendiculari, modo obliqua, modo vero horizontali directione donata. Ineptæ plerumque Minerarum productioni est vaga hæc distorta, ac devia, montium structura. Sola *Galena* texturæ chalybeæ hic quandoque nidulatur incerto penitus & passim abrupto cursu, quam in superficie Montis flavescens Terræ in variis Carniolæ, Carinthiæ, ac Styriæ locis, manifestat. Hæc ipsa Terra in conspectum quoque venit hinc inde in Montibus supra *Prard*, nec non in *M. Dull*, qui cum sylva *Pirenbaum* connexus *Goritiam* usque protenditur, & ubi *Pyrites cubici*, testacei, subrotundi, aliique haud obscura signa præbent latentium Minerarum.

Civitas Goritienſis ad ortum Solis habet colles ſteriles, quos conſtituit modica Humo tecta Argilla rubra cui calcariæ & arenariæ particulæ plus minus immixtæ ſunt; ſub hac apyra Terra jacent ſtrata horizontalia lapidis Calcarii, Schiſti, & Arenarii. In aliquibus locis fuſca Argilla occurrit, cui exiguæ & cubicæ Pyritis pallide flavi particulæ adhærent, cujus fatiſcentiæ tribuenda eſt ochra illa martialis, quæ uno in loco, prope viam publicam, una cum aqua e colle profluit. Dicta Argilla rubra Martialibus molleculis inquinata, ideoque ſterilis, non eam calcis & arenæ copiam fovet, quæ ad margam conſtituendam neceſſaria eſt. Ut tamen Incolæ, & tam lata Terræ ſuperficie, utilitatem aliquam hauriant, nihil præſtantius, me Judice, fane foret, quam ubique plantare Quercus atque Caſtaneas, relictis fructuum adhuc vigentium cespitulis, ut juniores Arbores dictæ a vi ſolarium radiorum, ac ventorum impetu, tueantur.

Per totam Agrum Goritiensem, vidi ubique ſparſos aggeſtoſque lapides ovaſ, ſubrotundos & levigatos, quales ad omnes ripas aquarum rapidarum paſſim exſtant. Nullum itaque dubium eſt planitiem illam aliquando inundatam fuiſſe, unicus enim impetus furentis aquæ poteſt abrepta fragmenta lapidum calcariorum & marmorum mutuo atterere & lævigare. At inquierent nonnulli, quid Nobis hoc ſcire juvat? utinam loco lapidum fertilis tetra foret! Sed quaſo Vos, optimi Cives, nunquam credatis, ita iniquam Patriæ Veſtræ fuiſſe Naturam, quæ dum campos forte olim ſteriles, optima humo e montibus ſecum abrepta tegit, Calcariis ac ſabuloſis particulis ubique diſfuſis argillam mutat in margam, nec non cretaceam & aquis imperviam ſoli naturam inſtratis ſatis corrigit, ea beneficia Vobis præſtitit, quibus felicitas veſtra etiamnum innixa eſt.

Goritia Tergestum iter faciens, vidi denuo Timavi fontes, quam denominationem fluvio Brentæ tribuit Cl. VANDELLIUS (19), quod jam pridem BLONDUS FLAVIUS FORLIVIENSIS, ac BERNARDUS RAMAZZINUS, scriptum reliquerunt. Dum autem VIRGILIUS de Timavo verba faciens, Illiricos sinus & Liburnorum Regna, ab Antenore una cum Fluvii ejusdem fontibus superata fuisse dixerit, clare patet Timavum fluvium eum esse, qui e Terræ visceribus in Kartschia Austriaca profluit, ex qua in Vetus Illyricum unicus Antenori aditus patuit.

Ad viam prope S. Joannem de Duino, vidi iterum novam CARPINI speciem, quam voco *Duinensem*, facie Ostryæ MICHELIJ, sed structura amentorum, tam ab *Ostrya*, quam a *Carpino* DODONÆI omnino distinctam. Frequens ibidem est CLEMATIS viticella gerens femina (2-5) rotundata & compressa; ASPARAGUS *Corruda* (20), seu Sylvestris MATHIOLI (21), ex quo duas species distinctas condidit Ill. LINNÆUS; SCABIOSA *Leucantha* (22) fruticoso caule instructa, ANDROPOGON *Gryllus* (23), nec non aliud ANDROPOGON, quod voco arundinaceum, a LINNÆO nondum nominatum, etsi diligentissimus SCHEUCHZERUS eum optime descriptum ac delineatum, vocaverit *Gramen arundinaceum*, *paniculatum*, *locustis partim muticis*, *partim*



- (19). De Therm Patav. cap. I. de Patavio.
 (20). CLUS. Hist. p. CLXXVII.
 (21). Dioscorid. p. 349.
 (22). Scabiosa corollulis quadrifidis æqualibus, squamis calycinis ovatis obtusis, foliis pinnatifidis. LINN. Sp. Plant. p. 98.
 (23). Avena Floribus poglams. FL. CARNIOL. p. 207.

tim. aristatis (24). Copiosus quoque ad easdem vias est *CARTHAMUS lanatus*, *SCOLYMUS hispanicus*, *Centaurea Calceitrapa* ob semina nuda. *RHAPONTICIS* adnumeranda, nec non in *Muris Arcis Duinenfis CAPPATIS spinosa*.

In Vico Brissek copiosus erat *ARENARIUS Cos*, in scriptis meis Metallurgicis ita vocatus, nec non *SPATUM* aliud pyramidale ferrugineo colore tinctum. Vicinos colles habitat & *FETRAO rufus* nulla puncta alba in fascia ea nigra gerens, quæ a basi rostri utrinque nata, super oculos extensa, per aures descendit & ad basim coll, juncta cum socia, albam gulam sepit. In collibus supra Tergestum passim spontanea occurrit *PUNICA Granatum*, unico stylo donata, *STIPA lanata*, *CISTUS salviæfolius*, aliæque Planta, quas in Editione alia *FLORA CARNIOLICÆ* numerato.

Tergesti paucatum horarum mora non concessit ut Naturalia quærerem & observarem. Solum sese oculis nostris obtulit *Gramen arrense*, *Polypody panicula crassiore BARRELLIERY*, quod Ill. LINNÆUS *Cyriosuris* accensuit, etsi spiculæ etiam quadrifloræ ac Habitus Doam esse demonstrent. Vidi & hic Terram *Puzzolanam*, quam Egregius CRONSTEDT vocat: *Calcem Martis terra incognita, aqua indurescente mixta* (25), eamque Minoris Martialibus adnumerat. Cum vero Mineræ Jeti titulum ii lapides dumtaxat mereantur, qui e centenario ad minimum decem Ferri libras congruis additamentis largiuntur, Terra hæc autem talem ferri

CO-

(24) Gram. p. 509. Tab. II. fig. 12. 15.

(25) Mineralog. p. 123.

copiam non contineat, ita eam non Mineris Ferri, sed iis Ferris adnumeravi, quæ sponte & absque ullo ad-
ditamento in igne fluunt, aut in scoriam vel vitriformem massam mutantur.

Goritiam reversus Cormontium adii ibique in Palude copiosam Turfam primus inveni, quam breviter describere, operæ prætium existimo. Turfa, Lithantraci adfinis est Humus, aut Vegetabile, bitumine penetratum. Bituminis nomine intelligo substantiam inflammabilem in igne cum fumo & odore deflagrantem. Materies hæc in fossili carbone inhæret Argillæ, & tunc exustus carbo relinquit massam scorix similem, aut Vegetabile corpus aggressa est, unde cinis post cremationem obtinetur. Sicut ergo Carbo Fossilis duplex, nempe piceus, & lignosus, ita & Turfa modo cœnosa est, modo vero fibrosa. Prima species est Humus Animalis aut vegetabilis bituminosa, nunc in forma sicca in superficie terræ posita, tunc vero in fundo aquarum stagnantium habitans, unde in Regionibus nonnullis propriis retibus inde extrahi solet. Altera species est congeries radicum, foliorum, stinitum tequi pro ratione copix bituminis additi colorem quoque fuscum aut nigrum exhibent, & in igne vix ul-
lum aut insignem odorem spargunt. Inter Turfas fibrosas minus bituminosas referenda est quoque illa, quæ prædictas Paludes inhabitat, & quam Batavi Hey-Turf, Germani vero Heydetorf, appellant.

Adtulerunt eadem die Porpitas ac Astroitas; quibus Mons quidam, non procul a dicta Palude, abunde scatet. Circa Porpitas (qui modo utrinquæ planæ, modo unica aut utraque facie modice convexæ sunt) arbitratur VALISNERIUS in Diss. Manuscripta, quam legi apud Humanissimum Virum D. Jo. Ant. Lib. Baronem de Mestris, esse opercula Helicis marinæ petrefacta.

facta. Verumtamen quis unquam in operculis concharum vidit strias elevatas a centro ad peripheriam tendentes & concentricos circulos ubique secantes? Nonne & Conchæ ipsæ in eodem loco inveniendæ forent, ubi earum opercula tam copiosa reperiuntur? Non sunt ergo opercula Helicis, sed *Madrepora simplex*, *orbicularis plana*; *stella convexa aut plana* (26), seu Lapillus numismalis CALCEOLARIJ (27), quem in litore Maris Gothlandiæ collegit BROMELIUS, fossilem vero in Helvetia SCHEUCHUERUS, qualia specimina in Hungaria & Carinthia lecta in Musæo Græcensi Soc. Jesu, nunc etiam adservantur. Inter Astroitas Cormonenses, seu Madreporas alias, sequentes inprimis notatu dignæ occurrerunt, 1. *Madrepora simplex*, *turbinata* (28), seu *Columellum striatum* (29): striis longitudinalibus, non vero transversis, ut habent Icones Linnæanæ. 2. *Madrepora composita*, corporibus proliferis e centro pluribus, undique coadunatis, *stella convexa*, *centro-concava*. LINN. (30); lateribus striatis. 3. *Madrepora composita*, *ramosa ramis dichotomis longitudinalis tenuiterque striatis*, *stella terminata plana difformi*. Species hæc proxima est *Milleporæ* LINN. *Amœn. Acad.* 1. de *Cor. Balt.* Fig. 21. 4. *Madrepora composita*, *ramis simplicibus coadunatis*, *stellis difformibus concavis*; Plures stellæ sunt in corpus rotundum; convexum, subtg productum & quasi pedicellatum coaduna-

(26) LINN. Corall. Balt. Amœn. Academ. I. Tab. 1. fig. 2.

(27) Mus. 328.

(28) LINN. 1. c. num. 1.

(29) HELWING. Lith. Angl. 59. Tab. 5. fig. 13.

(30) L. c.

nata. 5. Prioris (4) Varietas ovalis. 6. Altera varietas (4), stellis concavis, rutundis & affabre constructis. 7. Millepora ramis vagis, punctis sparsis. LINN. magnis, parvisque. 8. Eiusdem (7) Varietas poris minoribus obsoletis. 9. Madrepora poris angulatis. In hac pori trigoni, tetragoni & pentagoni sunt, superficie inferna virgosa & obscure punctata.

Montes Cormontio proximi constat stratis variis lapidis calcarii, argillæ & schisti margacei, qui pluvialibus aquis humectatus sensim fatiscit in lamellas irregulares, ac tandem in pollinem, qui ab aquis in planitiem translatus, Agri ejusdem fecunditatem plurimum promovet. Prudenter itaque Agricola solent ibidem prope vias publicas excavare fossas, ut aquæ transeuntes hanc margam ibidem deponere debeant, lætificandis agris aptissimam.

In fossis ejusdem Agri crescit SCIRPUS noster *glomeratus*, seu *Scirpo-Cyperus*, *panicula glomerata, e spicis imbricatis composita*. SCHEUCHZERI (31), LINNÆO hactenus ignotus, cui culmus pedalis & altior, nudus & flexilis; spicæ oblongæ, sessiles, terminales, in capitulum congestæ; squamis ovatis, concavis; semen trigonum vallatum aristis eo vix longioribus, rigidis, (5-7). Ultra capitulum florale protenditur culmus modo adscendens modo vero horizontalis. Ibidem in udis erat GENTIANA *perfoliata* Linnæi, quæ in patiens systematis sexualis ostendit præstantiam Generum Naturalium, quæ non numerus, sed proportio Geometrica

(31) Gram. p. 404. Tab. IX. fig. 14. folio sub panicula nimis erecto.

trica & Harmonica partium floris & fructus inprimis constituit. E marga fossarum fundo instrata prodeuntes copiosissimi vermiculi rubri in agmina distributi, corpora sua sub aquis agitabant. Animacula ista (2-5) lineas longa, setacea, admoto digito fesse intra lutum recipiebant, totaque macula evanescebat denuo eruptura, quamprimum digitus retractus esset. An hic *Lumbricus terrestris minor rubicundus* SLOANEI (32)? An *Gordij* nova species, seu *GORDIUS ruber gregarius*? certe nullas asperitates, nullosque annulos, meo microscopio, in his vermiculis observo.

Post tridui moram in Vico Cormons, Medeam petij, eadem die montem ejusdem nominis aditurus. Erat hic *Ornithogalum autumnale minus cæruleum* TOURNEFORTIJ, cui LINNÆUS solidam radicem & flores racemosos attribuit, cum tamen illa tunicata hi vero spicati sint. Corolla quoque non patens, filamenta latiuscula, fructus perenni stylo terminatus, sunt totidem notæ, quæ Plantam hanc remonent a *Scillis* & *Anthericis* adjungunt. Vidi etiam ibidem, hoc tempore, raro sane exemplo, florentem *SESLERIAM* meam, seu *Gramen glumis variis*. C. BAUHINI (33), SCHEUCHZER (34), HALLERI (35), aliorumque, quod LINNÆUS (36) dixit *Cinosurum bracteis integris*, etsi bracteas nullas habeat, JACQUINIUS vero *Airam foliis planis, spica subovata densa*, licet nec verum *Airæ* characterem, nec eas spicas plerumque possideat. *SESLERIÆ* Genus retinuerunt ADANSONIUS, & novus Illustrator plantarum Bal-

C

di

(32) Jam. 2. p. 189.

(33) Prodrom. p. 21. cum icone.

(34) Gram. p. 83. Tab. 2. fig. 9. A. B.

(35) Enum. Helv. p. 230. n. 1.

(36) Spec. Plant. p. 72. n. 5. Fl. Svec. 2. 89.

di Montis, verumtamen post repetitum nec perfunctoriæ institutum examen Graminum indigenorum. Plantam hanc nunc voco *PLEUM cæruleum*, ob pedunculos in spicam digestos, calycem biglumem, ac petalum unum aut utrumque aristatum, quæ notæ *Phlei* Genus, juxta me, constituunt.

Altera die in eodem Monte inveni novam *Bromi* speciem, cui Culmus bipedalis, diffusus, vix lineam crassius; Folia brevia, refracta; Panicula triuncialis, rigida, laxa, racemis patulis & paucifloris; Spiculas ramulis adpressas 2-3-floras; Calyces biglumes, mutici, petalis breviores; Petalum exterius bifidum, ex emarginatura brevem aristam efferens; Petalum interius muticum & bipartitum. Erat & *Origanum vulgare* squamis strobilorum rubris & amplioribus. In septentrionali latere ejusdem collis passim degebat *LASERPITIUM minus* RIVINI, seu *LASERPITIUM* e *Massilia* J. BAUHINI (37), quod *Gallicum* LINNÆUS appellat. Huic caulis sulcatus, scaber; Folia bipinnata, latiuscula, incisa, margine villasula; Semen quatuor alis munitum, de more Gentis. Quæsi vi etiam ibidem indicatas a Scriptoribus nonnullis Mineras Auri, sed nullum cuniculi aut putei signum, nullam lapidis vitrescentis (qui vera Nobilis Metallæ matrix est), nullaue Pyritis, fidissimi Minerarum omnium comitis, particulæ, aliquo in loco visa est. Sed dum Mineram Auri voco, nollim quis credat, me in ea esse sententia, dari Aurum mineralifatum; nam sulphuris mineralis actio in aurum nulla est, nec notum corpus aliquot, quod vices alcali fixi

ge-

gerens, possit sulphur introducere in corpus Auri, sicque mineram facere (38).

Eodem in Monte visus a me fuit *TETRAO pedibus nudis, macula nuda coccinea pone oculos, cauda ferruginea, sterno brunneo*. LINN. (39), seu melius *TETRAO gula caudaque rufis, pectore cinereo nigro-punctato*; quem nostrates Carnioli *Jerebiza*, Itali vero *Pernice* vocant. Circumvolitabat etiam *GRYLLUS* (*Mantis*) *thorace subcarinato elytrisque viridibus immaculatis* (40), solius Africæ incola dictus ab Egregio LINNÆO, ac optime a ROESELIO depictus. In omnibus quoque vineis & hortis ubique stridor audiebatur *GRYLLI nostri pellucens* (41), ac versus Septentrionem erat Terra rubra, colori idonea, de qua, otium nactus, alio loco plura dicam.

Visis hisce locis Lucinicum adj, ibique in Paludibus eandem Turfam inveni, quam in Cormonensibus antea detexi. Vicinis in collibus floridam quoque repere *OPHRYM corallorhizam*. LINN. quæ attenta fabrica machinæ staminiferæ ad *Ophrydes* minime pertinet, nec *Orchidi* aut *Serapiadi* adjungenda videtur; nam 1. *Orchidis* character est stylus fixus, antice bilocularis: loculis clausis & foveis stamina totidem, quibus filamenta basi attenuata sunt & imposita propriæ lamellulæ, tanquam receptaculo; 2. *Serapiadis* stylus antice loco sacculorum habet foveolas binas insculptas, quarum quælibet fovet antheram sessilem; 3. *Ophrydis* essentia consistit in antheris laminæ propriæ adfixis, quæ inter styli labia, linguæ adinstar collocata est. Cum itaque *Ophrys corallorhiza* gerat stylum bilab-

(38) Mineralisatum corpus est illud, quod absque addimento tertij corporis cum mineralisante magis adfinis, reduci non potest.

biatum: labio superiore biloculari: loculis apertis; labio inferiore sustinente antheras flavas, basi connatas, brevissime pedicellatas: pedicellis apici labij inferioris adfixi; ita voco *Neotiam*, quale nomen huic Plantæ LINNÆUS jam pridem imposuit.

Non procul Lucinico reperitur Margæ species, quæ, de more talium terrarum, cum acidis mineralibus effervescit, in aqua vero fatiscit in pollinem vel tenues lamellas, cum sibilo quodam, quæ efficit aer, dissolutionis tempore, e terra hac bullatim errumpens.

In ripis Lifoncij inveni fere innumeras marmorum varietates, Basaltis nigri vestigia in silice albedo, Micain Argyritem argillæ immixtam, nec non indicia auriferæ arenæ, nigricantis, nitidæ, vel atro-rubræ. Plurimas particulas ex arena hac adhuc cruda extrahit magnus tam chalybeus quam naturalis, longe plures autem ex eadem ustulata. Observant metallici aurum arenæ purius esse auro fodinarum, nec in aliis fluviis reperiri, nisi in illis, qui frequentes naves ac ligna vehunt. An ergo aurum hoc in arena natum? An phlogiston vegetabilium anima metallorum est? Quare in omni arena aurifera latet ferrum? Laudabo illum, qui mihi ad hæc quæsitæ responsum dederit non nudæ imaginationi sed solidis experimentis innixum.

Hæc sunt notabilia, quæ in hoc itinere vidi, quæ Vobis Eruditissimi Sodales deferenda esse censui. Parcite, quæso, commissis erroribus, quos nemo evitavit, qui observatione Rerum Naturalium festinare voluit aut debuit. Conabor forte alia occasione, si majora Deus mihi dederit otia, voluntati Vestræ plenius satisfacere.

